Concordat

Paulus episcopus servus servorum dei dilecto filio Andree electo Vicen. salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos pridem ecclesie Vicen. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio apostolica auctoritate duxerimus providendum, preficiendo te illi in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis episcopis similes gratiam et communionem habentibus munus consecrationis recipere valeas, ac eidem Antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam auctoritate nostra impendere licite valeat, tibi et ei plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem et dicta auctoritate statuimus atque decernimus quod si non recepto a te per ipsum Antistitem dicto iuramento idem Antistes munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis, idem Antistes a pontificalis officii exercitio et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Nos etiam volumus quod formam iuramenti huiusmodi quod te tunc prestare contigerit nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Et quia per hoc venerabili fratri nostro Archiepiscopo Tarraconen. cui dicta ecclesia Metropolitico iure subesse dignoscitur nullum imposterum preiudicium generetur. Forma autem iuramenti quod prestabis hec est. Ego Andreas Electus Vicen. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sancteque apostolice Romane ecclesie ac domino nostro domino Paulo pape V suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum seu capiantur aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur vel iniurie aliquae inferantur quovis quesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu litteras ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum apostolice sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura honores privilegia et auctoritatem Romane ecclesie domini nostri pape et successorum predictorum conservare defendere augere et promovere curabo. Neque ero in consilio facto vel tractatu in quibus contra ipsum dominum nostrum vel eandem Romanam ecclesiam aliqua sinistra vel preiudicialia personarum iuris honoris status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscunque procurari novero vel tractari impediam hoc pro posse et quantocius potero commode significabo eidem domino nostro vel alteri per quem ad ipsius notitiam pervenire possit. Regulas sanctorum patrum decreta ordinationes sententias dispositiones reservationes provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Hereticos schismaticos et rebelles domino nostro et successoribus predictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum veniam nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Apostolorum limina singulis triennijs personaliter per me ipsum visitabo et domino nostro ac successoribus prefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio ac de rebus omnibus ad mee ecclesie statum ad cleri et populi disciplinam animarum denique que mee fidei credite sunt salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero prefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio mei capituli aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut his mihi deficientibus per diocesanum sacerdotem et clero deficiente omnino per aliquem alium presbyterum secularem vel regularem spectate probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad sancte Romane ecclesie Cardinalem proponentem in congregatione sacri Concilii Tridentini per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu capituli ecclesie mee inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero penas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me deus adiuvet et hec sancta dei Evangelia. Dat. Rome apud Sanctam Mariam maiorem Anno Incarnationis dominice Millesimo sexcentesimo decimoquarto Quinto Id. Septembris Pontificatus nostri Anno Decimo.

Thomas Berty [illegible]

[illegible]

[illegible]

Perg. 8

In Dei nomine Amen. Universis et singulis hoc pns publicum Instrum visuris lecturis pariter et audituris ubique pateat evidenter et sit notum quod Anno a Nat. Dni Millesimo Sexmo Decimo quarto Indne decima tertia die vero vigesima octava mensis Decembris Dom. nra primo post nativitatem Dni Pontis Smi D. N. Pauli divina providentia Papae quinti Anno eius decimo. In mei notarii pubci aplici testiumque infrascriptorum praesentia Illmus et Rmus D. meus Don Antonius Caetanus Archiepus Capuae Nuncius et Collector generalis Aplicus in Hispaniarum Regnis cum facultate Legati de Latere in Cappella maiori Eccliae Monasterii Sti Hieronymi huius oppidi Madriti existens, assistentibus Ill. Venerabilibus in Xpo Patribus DD. Don Luca Duran de Albarrazin et Don Jeanne de Avellaneda de Sydonia Ecclias respe Epis Rmo D. Don Andream de Sto Hieronymo Epo Vicen. inter missarum solemnia munus consecrationis (recepto tamen prius ab eo Romanae Ecclae nomine fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam in retroscriptis Lris adnotatam) impendit, cum quo iuxta Stae Romanae Eccle ritus et ceremonias in talem Epum consecravit, in vim Litterarum aplicarum retroscriptarum, Praesentibus ibidem pro testibus Pe Gregorio Pedrosa Ordinis Sti Hieronymi professore ac Concionatore regis Catholicae Maiestatis Thoma de Angulo eiusdemque Maiestatis secretario, Don Didaco Brochero a Consiliis praelibatae Maiestatis ac Don Philippo Carregio Can. Capuan. in pnti oppido Madriti residentibus aliisque quampluribus equitibus et personis in multitudine copiosa in dicta Ecclia existentibus. Et quia praemissis omnibus interfui Ego Bartholomeus Gutierrez publicus Aucta Aplica Notarius dicti Illmi Dni Nuncii Archiepi Capuae audientiae et Tribunalis secretarius. Ideo hoc pns praesens publicum attestationis Instrumentum signavi et subscripsi rogatus et requisitus.

Antelmino Veritatis

Bartholomeus Gutierrez
notarius

D nº 3 1614

Avila